DE

IUDICATIONIBUS IN MORBIS CHRONICIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS THEOPH. LOESCHER

LUBBENA-LUSATUS.

BEROLINI

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

NEC NON

VIRO

EXPERIENTISSIMO CELEBERRIMO

GEORG. RICH. FRANK

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS IN REGIMINE FRANCOFURTENSI ET IN RE MEDICA ADMINISTRANDA, EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE TERTIAE CLASSIS

IN REBUS MEDICIS

MIHI

FUTURO PATRONO

HUNC LIBELLUM

PIO ANIMO OFFERT ET INSCRIBIT

AUCTOR.

Praefatio.

Quicunque ex interno impetu arti se dedit eamque cum amore amplexus fovet dilectissimam, multarum rerum, quae in ista animo offeruntur, quam explorandi atque intensius percontandi impendat studium, prae caeteris certe sibi dignam elegit. Quam quidem animi propensionem homini insitam esse a natura puto sapientissima, cujus finem, omnia quaeque, ut, quantum fieri possit, emendata atque perfecta evadant, paulatim perducendi, cuncta ejus opera quam luculentissime testantur. Alias enim, nisi omni vi in unum locum contracta, in summa rerum varietate, quod pretii ac laudis dignum sit, vix quidpiam exhibeas, sed absque ullo fructu, ut vero commodo omnino non prospicias, omnis tua opera frustra navata erit. Atque haec historia satis superque edocet; qualis enim sors quaeso, ut unum solummodo exemplum afferam, qualis sors cecidisset medicinae, quae jamjam inter multas eminet disciplinas,

nisi viri summo ingenii acumine praediti, qui a priscis inde temporibus ad recentiora usque omne studium ad eam excolendam contulerunt, singulas solummodo disciplinas pro virili parte provehere acquievissent, sed in plures simul vim distraxissent? Procul dubio viri docti, praesertim nostri aevi, quod, augescente scriptorum numero, ars incrementum capiat perexiguum, omni jure conqueri videntur, nec vero, si rem paululum accurate perpenderimus, eo, quod maxima auctorum pars nimis multa una amplecti atque tractare velit, quodque multi juniores auctoris lauream decerpere sibi cupiant, justam causam contineri, diu nos latebit. Hi omnes quidem, qui ex arbitrio, idque vero temere res litteris mandant, omnino coërcendi atque reprehendendi sunt; si quis vero ab interno animi impetu minus impulsus, sed a lege, cui obediendum est, coactus, quod in publicum prodeat, suscepit opus conscribendum atque quamvis mancum absolvit, an is quaeso reprehensionis culpam eandem sibi contraxit? Quaecunque praestantiae ac perfectionis laude eminent, sola vis ingenii libera atque arbitrium procrearunt, quaecunque autem lex exegit, haud multi pretii habenda sunt. Ego quidem profecto, si proprio arbitrio obsequi licuisset, nullo modo jamjam in auctoris gradum ascendere ausus essem, omnis enim omnino spes atque fides me derelinquunt, si virium mearum modulum respiciens, quale fatum dissertationi vel proprio secundoque Marte elaboratae immineat, paululum unquam reputaverim. Huc accedit summus, quem mihi natura pudorque meus attribuit, timor,

quo, ne quippiam palam agam, maximopere impedior; est tamen conditio, sine qua non artis medicae, quam ex intimo corde foveo et usque fovebo, conceduntur honores, ut quicunque hos adipisci voluerit, auctoritatem, quam crebro vires haud aequant, sibi audeat arrogare; ideo solummodo manus dare, melius conducere visum est. Si vero juvenem viros, qualescunque in disciplina, cui se addixit, praeclari exstiterint, adprime decet imitari, eorumque ex vita ac studiis normam sibi eximere, ego quidem secundum illos viros, qui in medicina magnum sibi meriti sunt honorem, jamdudum permovebar, ut in disciplina nostra, cujus ambitum haud angustis jamjam videmus limitibus circumscriptum, locum, qui prae caeteris mihi arrideat, e multis eligerem. Cum pathologiam quidem, fundamentum totius medicinae primarium, prae aliis mihi sumerem, in morbo speciatim tractando atque dilucidando ne variae, quae omnibus fere obvenire solent tironibus, eaedem meam viam impedirent difficultates, quaedam potius generalia de morbis chronicis paucis hic exponere, apud me constitui. Quoniam tamen juveni, qui vix et ne vix quidem artis deposuit rudimenta, ex penu proprio haud multa depromere, sed solummodo fere, quae in versandis autoribus, atque ex ore clarorum virorum digna memoratu accepit, in ordinem redigere, atque forma, prout vires admittunt, decenti ornare concessum est, ipse, hac dissertatione haud nova me prolaturum esse, ingenue profiteor. Omnium omnino, quae hic in lucem prodibunt, vix parva pars solummodo mea est, forma tamen mea, cui, si

videbitur, fave lector, et bona cum venia accipe verba mea.

Ex quo tempore studio therapiae specialis incubui, multorum, quae cum imperito juveni, tum gnaro therapeutae in his offeruntur difficilia et admiratu sat digna, usque mihi arridebant morbi inprimis chronici, quos quidem maximopere impeditos et occultos jure meritoque haberi, nullo modo inficias ire volo. Eorum enim decursum in annos et in longius spatium videmus protractum, non, ut in acutis, clara morbi effigies nobis se offert, sed diversimode inter se conjuncta est series symptomatum atque impedita, nec non ipse aeger, quod rarissime in morbis acutis accidit, varias, quibus omnis lux auferatur, procreat difficultates, atque, quibus medicum fallat, nonnunquam struit insidias. Si quis vero ex intima animi propensione artem medicam fovet dilectissimam, hisce omnibus impedimentis ab ulteriori haud abhorrebit investigatione, sed, quo novas ad finem propositum perveniendi sibi expediat vias, omni qualicunque studio adnitetur. Qua quidem ratione mox apparebit, ad morbos chronicos rite dignoscendos curandosque scrutatore opus esse accuratissimo atque diligentissimo, qui, cum statum aegroti praesentem

totumque individualem noverit, causasque omnes qualescunque percontatus fuerit, morbum a primordiis persequatur, et, ut claram denique atque quam absolutissimam sibi proponat imaginem, unum quodque momentum, quamvis minimum videatur, animadvertat, singula rite inter se conferat atque perpendat; dum is quidem, qui observare naturam haud didicit, phaenomena morborum chronicorum, quae se invicem excipiunt, certo nexu inter se cohaerere prorsus ignorat, et quamquam omnia forsan unius naturae atque originis, diversae solummodo formae, eandem sibi poscant medendi rationem, singulis tamen removendis singularem adaptat curandi methodum. Quale vero opus viri cujusque clarissimi tanto ingenii acumine, tantaque arte videre licet constructum, ut quaecunque sibi invicem respondeant, vel ea, quae minimi momenti ab imperito habentur, ut harmonia totius enascatur, haud parum conferant, similem connexum singulis, quae in morbis nobis offeruntur, phaenomenis subesse, animus me fert opinari. Quod quidem ad acutos morbos attinet, hunc nexum adesse, omnes non possunt negare, in multis contra malis chronicis hunc ipsum a diligentissimis omnis aevi scrutatoribus nondum inventum esse, libenter concedo; quem enim fugiat latissimus morborum psychicorum campus, ubi saepius, quo minus clara lux effulgeat, spissae tenebrae impediunt? Quis vero ob id, hanc lucem in multis jam clarere, in reliquis adhuc accendi posse, spem atque fidem abjiciat? — In ipsis morbis nervosis, quorum pathologia, quia physiologiae imperfectae nititur fundamentis,

manca ac infida prae aliis est, saepenumero licet ex uno primordio omnia symptomata enucleare, dummodo aegroti statum, ut totius imaginem omni ratione habeas absolutam, intime atque diligentissime percontatus fueris. De aliis vero morbis prorsus idem valet; nonne enim ex una labe q. g. arthritica vel psorica morbos, qui, mirum in modum complicati, maximopere diversa symptomata nobis offerunt, luculentissime deducere atque dilucidare nobis datum est? Ponamus tamen, plurima adhuc in morbis chronicis latere, inprimis nexum illum inter singula, quae per intervalla obveniunt, phaenomena, eum tamen conjectione adsumere, certissime licet, quandoquidem in cunctis morbis procul dubio solummodo unum affectum est, vim puta vitalem, ex qua demum omnia symptomata proficiscuntur. Si autem vis vitalis una, in unum directa, in morbis se exserit symptomatibus, haec ipsa in unum conspirent, atque nexu certo inter se juncta sint oportet. Liceat mihi jamjam, qualem vis vitalis in morbis quidem chronicis sese exhibeat, paululum fusius infra exponere.

Ut ex insito more organismus, qui sanitate perfruitur, solummodo, quae ipsi conveniant, in suas partes suscipit, reliqua vero, ut integritatem tueatnr, rejicit, haud secus in morbis, qui iisdem, ac status sanus, vitae legibus obediunt, vis vitalis, qualicunqne ratione laesa, in inimicum reagit incitamentum, idque eliminare aut diminuere saltem molitur. Quam quidem facultatem qua sese tueri atque emendare valet organismus, in morbis acutis luculenter apparere libenter concedo; tantum tamen abest, ut

eam in morbis chronicis prorsus negem, ut istam crebrius ac manifestius, quam vulgo credunt, efficacem se exserere, contendere velim. Exstat, Hufelandio auctore, excepta partis organicae absoluta destructione, nulla affectio, cui sine ullo artis adjumento natura sola mederi non potuerit; vel pulmonum vulnera, quae parenchyma prorsus penetraverant, gangraena, quae jam partes complures adfecerat, imo pestis lethifera solius ope naturae sanata sunt. Facile hic etiam comprobare potuerim, morbos chronicos haud tantum, quantum multi credunt, ab acutis distare, terminum inter utramque morborum classem non adesse, cum altera in alteram invicem transeat, multique morbi, qui certe acutorum charactere induti intrare consueverunt, q. g. dysenteria, omnes haemorrhagiae, quas febris synochicà concomitatur et al. a maxima auctorum parte ad chronicos referantur; sed, his omnibus omissis, solummodo de morbis disserere in animo habeo, quibus vera chronicorum indoles tribuenda est. Eandem quidem energiam in morbis chronicis curandis natura debilitata ad plurimum ac enervata adhibere non potest, lento potius, sed tuto gressu iterum iterumque incitamentum morbosum adgredientem saepenumero hic videre licet, naturam, sensim sensimque inimica superare, ac pristinam reducere harmoniam. Haud raro, remediis optimis frustra adhibitis, medici experientia gnari pessimam pronunciarunt morborum prognosin, quos incurabiles relictos natura sola serius ocyus aut multum emendavit, aut prorsus sanavit. Novi virum, qui ex nimio potu ac conviviorum deliciis arthritidem ac statum

sibi contraxerat fere cachecticum, ut omnis energia atque vita decrescere videretur; sensim sensimque tamen in utroque pede ulcera sponte oborta valde foetidam effundebant saniem, ut aeger pedibus quidem captus esset, valetudo vero universalis ex eo momento, quamquam pedetentim, progrederetur. Omnes certe hic unanimo mecum consentiunt, naturam hac via statum morbosum emendare intendisse, ac profecto omnia ex voto cecidissent, nisi aeger, qui jam summum sperare audebat, rursus vitae lautae sese dedisset, ut, tabem haud procul abesse, omnes artis gnari profiterentur. Quam quidem prognosin eventus non fefellit, brevi enim dies postremus dulcem doloribus, qui aegrum admodum dilacerabant, imposuit finem. Monere hic reliquum est, quod, quae hucusque viguerant, ulcera pedum, quo magis status universalis ad malum se convertebat, eo minorem, sensim sensimque diminuta, excernerent copiam, donec paulatim exsiccata mortem imminentem annunciarent. Vis organismo innata, iterum iterumque exhausta, judicationem jamjam inductam sustinere non valebat, nec ullum ulcus artificiale paululum proficiebat. In hoc jam relato exemplo natura ipsa, qua sanitatem reduceret, sibi expedivit viam; alias, ubi minor adest energia, excretionem potius, si qua forte alienata est, in usum et quasi auxilium vocare solet. Quod genus in viro, rheumatismo affecto, vulnus ictu inflictum, ac inepta cura in ulcus conversum, sensim sensimque nutriri atque augeri, tandem vero remedii domestici innoxii ope sanari vidi. Haud multum vero post vir, qui per omne

spatium, quod ulcus viguerat, sat bona valetudine, ut rheumatismi recidiva haud ulla accederet, gaudere visus est, variis laboribus afficiebatur, donec tandem morbus hydropicus clare se exsereret, ea certe ratione, quia natura incitamentum morbosum, quod loco jam affecto eliminare intenderat, hac via incaute obstructa, in aliam partem deposuerat. — Quia quidem exinde jam claret, suppurationem summum saepe remedium in morbis chronicis jure meritoque haberi, alia exempla simulque rationem, ex qua illius effectus salutaris elucescat, reticere magis volo. — Ut supra vidimus, in chronicis morbis minor quam in acutis organismi solet adesse energia, quam vero si medicus adjuvat apteque moderatur, crebro nihilominus ex voto cadit eventus. Quod quidem in plurimis convenit, e. c. in hydrope, ubi aqua collecta haud raro omni jure critica audit excretio, qua organismus vitalitatem systematis lymphatici studet emendare; si hic medicus naturae, quae aquam pro debilitate eliminare sola non valet, apta ratione, ut in ascite punctione abdominis, succurrit, crebro sanitas sponte, aut, quae jamjam intensius agere possunt, medicaminum ope reducitur. In morbis acutis sanitas crisi saepe prorsus in integrum restituitur, quin aliqua pars, quae omnem quasi labem in se susceperit, remaneat affecta; quia in chronicis vero penitius ac interius vitium solet residere, judicationes haud raro metastasi solummodo, aut quod etiam accidit, metaschematismo apparere solent. Q. g. haud absonum videtur, morbi scrophulosi huc mentionem facere, in quo natura haud raro affectionem uni-

versalem in singulas partes transferendo reliquum corpus liberat et integrum fere reddit, ita ut, suppressa illa affectione, labes universalis recrudescat, ac totum organismum in suam trahat ditionem. In exanthematibus chronicis indies fere idem observatur; ipse, ut hoc unum afferam, saevam hemicraniam, herpete in facie ac ipsius sincipitis parte suborto, non solum mitigari sed prorsus evanescere vidi; quam varia etiam detrimenta vel vitae pericula ex incauta impetiginis suppressione enata sunt? Complures, si fusius rem exponere vellem, metastases ac metaschematismos, quibus idem satis appareret, hic recensere possem, sed monet locus, ut ad aliud caput me vertam.

Hucusque de morbis retuli, qui systemati reproductivo accenseri solent, in reliquis de neurosibus pauca addam. Ut in aliis morbis, haud secus in nervosorum decursu stadia quaedam observantur, quorum in primo virium harmonia quam maxime turbata est, donec serius ocyus secundo stadio diiudicante sanitas reducatur, cum ipsius morbi effectus essentiales, symptomata puta, remedia sint, quibus natura medicatrix uti consuevit. Q. g. haud raro affectiones systematis nervosi, dolores, convulsiones, tumultus maniacos oboriri, per spatium durare, dein vero paulatim, si summum gradum adscenderint, abire videmus. Plures etiam, qui huic generi adscribuntur, morbi tunc solummodo cessare videntur, si quid corpori remotum aut emendatum est, quod quidem secundo demum stadio fieri puto. Nonnulla

nulla subinde proponam, quibus studium naturae in morbis nervosis salutare magis conspicuum fiat. Hysteria et hypochondria morbi sunt nervosi, in quibus, simulac per spatium durantes fixum induerunt characterem, nervorum systema intime affectum est, ut raro solummodo natura valeat difficultates sibi expedire et profluvio aut exanthemate provocatis abnormalem statum superare. Quamquam vero pro affecta organisatione morbus hystericus raro totus removetur, singulas tamen accessiones crebro crisi quadam finiri, compertum habemus. Complures quidem autores risum atque lacrymas in accessionibus hystericis loco criseos fuisse enarrant; ipse novi puellam hystericam, cujus paroxysmi, etsi vehementes epileptici fere spasmi aegram valde torquent, simulac in risum vel cachinnum erupit, mirum in modum levari atque inde paulatim recedere solent. Alia aegrota nonnunquam inexplicabili, quam asseverabat, anxietate affecta, si lacrymas sat multas fundere liceret, statum certe meliorem fore, mihi professa est. A patre consultus nil aptius habui, nisi viam a natura indicatam sequi atque filiam, ut, si angor ultra accesserit, lacrymis se daret, amice adhortari. Nec eventus spem fefellit conceptam. — Affectionem nervosam risu aut lacrymis posse levari, non est, quod impediat quin concedamus, quandoquidem illo affectu non solum corpus, ut omnes functiones accelerentur, et harmonia inter singulas possit redire, sat movetur atque percutitur, sed animus etiam, ut in illud influat, admodum alteratur; lacrymarum vero secretione adaucta, respiratio liberior facta sanguinis expedit circui-

tum, quo quidem in pectore impedito, anxietas magis minusve provocatur. Propterea in vita, si dolores ac praesertim tristes animi affectus nos affecerint, ut lacrymas fundamus, pro sensibilitate serius ocyus impellimur. — Alia criseos forma in morbis nervosis a me ipso observata est, animi pute deliquium, quo in affini hysterica dentium dolores mere nervosi atque valde cruciantes magnopere solebant leniri, ita ut, cum aliquando experimentum instituturus eam e syncope excitavissem, dolores, quod alias, si aegrota in accessione pro libitu quiescebat, nunquam a me observatum erat, paulo post iique vehementiores redirent. Alia femina hysterica, cujus historiam a medico accepi amicissimo, per longum anni tempus varie laborabat modo doloribus capitis modo cardialgia ac aliis affectionibus, ut vel animi vis libera interdum constricta ac devicta fere videretur, donec subito sine ullo prodromo animi deliquiis, quae summopere desiderare consuevit, centum circiter intra trium dierum spatium afficeretur, quibus vero feliciter superatis, integra atque omni fere malo libera aliquot tempus admodum laudabat valetudinem, quae tamen inde sensim sensimque rursus in sensibilitatem transibat excedentem. — In aliis, quamquam certa criseos forma non observatur, hanc ipsam tamen adesse, ex eo jam conjicere licet, quod multae mulieres hystericae variis malis affectae, paroxysmo superato, in longum tempus prorsus integrae maneant. Quod ad morbos qui dicuntur psychicos attinet, turbae, quas in paroxysmo aegri cient, quam optime mitigantur, ut paulatim stadium re-

deat intermissionis, dummodo nulla vis adhibetur, sed maniacis ex arbitrio quamquam in loco tuto ac circumscripto agendi potestas data est. Ipse saepius vidi ac, plurimos mecum consentire, pro certo habo, fustibus, vinculis et aliis, quibus furor coerceatur, adparatibus formam quidem, aegritudinem puta, supprimi, statum vero internum, ipsum morbum potius augeri. Qui prius mania affecti erant, postea sanati professi sunt, se in paroxysmo ab interno, cui resistere nequeant, quasi stimulo agi. Ideo vis illa, qua devastant atque rebus externis ruinam struunt maniaci, inepta aegros fustibus cogendi methodo in interna haud sine periculo converti semper mihi visa est. Quo diligentius turbas ac varios, qui in paroxysmis maniacorum conspiciuntur, motus animo perpenderim, eo magis in intima organisatione cerebri praesertim ac reliqui nervorum systematis vim vitalem medicatricem varia intendere atque, quibus pravum emendet, moliri, certum ac persuasum habeo. Si in multis, quod inficias ire haud volo, symptomatibus, quibus se exserit mania, sola receptivitas, ut paulatim paroxysmus decedat, diminuitur, haud in paucis vero aliae in aliis observatae sunt secretiones et excretiones auctae, q. g. excrementorum, urinae, sanguinis, sudoris, quibus forsan natura ipsa expediat viam, quam medicus in instituenda sanandi methodo felici persequatur successu. Nec experientia huic non consentaneum nos edocet, haud raro maniam oboriri suppresso sudore aut sanguinis profluvio, quibus ad normam reductis, sanitatem magis minusve redire. In quibusdam etiam febris inter-

mittens praesertim quartana salutares praestitit effectus, quod quidem ex satis magna concussione ac totius organismi incitatione aut, si qua vitia abdominis causam maniae praebuerint, ex vi febris resolveute facile explicandum esse reor. Natura critica denique in hoc genere morborum impetu quodam ac appetitu aegrotorum sese manifestat; q. g. celeberrimns Hufelandius maniacos refert haud raro se in aquam dejicere toto animo velle, an, quaerit, interna naturae vox, ut aqua loco remedii utantur, quasi critica monet? — Haec dicta sint de morbis psychicis, exinde de spasmis ac praesertim de epilepsia agam.

Cum nuper in tractandis morbis nervosis auctores evolvissem, in curanda epilepsia viam empiriae late expeditam etsi plurimos legisse videbam, viri tamen in medicina admodum meriti Lentini clarissimi observationes magno me gaudio affecerunt. In quidem in morbo, quem omnes vel summopere gnari therapeutae hostem fere inexpugnabilem timent, qui ob id certe Herculeus audit, in hoc, inquam, Lentinus, experintiae locupletissimae ac arti observandi accuratissimae innixus, qua tutius et ex rationali, quam vocant, methodo agere liceat, viam nobis expedire studuit. Paroxysmum enim epilepticum semet ipsum pntat judicare, eo praeterlapso, materiem morbi, aut omnino id, quod morbo substratum sit, diminutum aut prorsus sublatum esse; hominem tunc demum omni jure epilepticum nominari, si symptomata epilepsiae palam prodantur, in intervallis istum integrum esse, solam remansisse morbi receptivita-

tem, quäe sensim sensimque aucta nova suborta accessione rursus auferatur. Ac profecto, si unquam labores, quos in paroxysmo epileptico subire solet organismus, si turbas illas et tumultus, qui cientur in omni systemate, semel solummodo respexerimus, naturam criticum intendere certamen jam ex his conjiciamus oportet. Neque in plurimis non aucta quadam secretione aut excretione, quae nonnunquam post temporis demum spatium intrant, paroxysmi solent terminari, ut natura ipsa optimam nobis monstrasse videatur viam, quam quidem hucusque neglectam ac impeditam fere diligenter persequendam esse, Lentinus in additamentis ad medicinam practicam exemplis e proprio experientiae penu depromptis clarissime comprobavit. Qua quidem in re si Lentino summam laudem deberi puto, alios ante ipsum, ut Fr. Hoffmannum, R. A. Vogelium similia de nostro morbo statuisse, haud inficias ire volo. Quod ad me attinet, paroxysmum epilepticum aliquid critici intendere, iam ex eo concludendum esse reor, quod, isto turbato aut prorsus interrupto, varia exinde incommoda vel vitae pericula enasci soleant. Plures epileptici, se praeterlapsa demum accessione, optime se habere, ante paroxymum aut, isto turbato vel prorsus suppresso, capitis doloribus ac magna obtusitate aliarumque partium malis esse affectos, etiam atque etiam me certiorem reddiderunt. — Ut singulas vero, quae in epilepsia criticae observatae sunt, secretiones et excretiones proponam, sub finem cujusvis accessionis e. c. sordes biliosae acidae vomitu ejiciebantur, in aliis diarrhoea finem paroxysmo impone-

bat; urinam criticam fuisse, legas in Hufelandii ephemeridibus tom 2. pag. 277; mensium fluxu totum morbum cum mitigatum tum prorsus remotum esse, quibus confirmem, mihi in promtu sunt exempla; haud absimili ratione epistaxis ac haemorrhoides fluentes morbum epilepticum ex voto prorsus dijudicarunt, aut, quod saepius observatum est, admodum mitigarunt; sudor etiam copiosus nonnunquam valde foetidus haud raro paroxysmum lenivit ac prorsus cohibuit, quod quidem luculentissime videre est in exemplo, quod Lentinus in libro, cujus supra mentionem feci, enarravit. Crebrius dein observatum est, quod motus convulsivi ac epileptici, propulsis ad superficiem purpuraceis efflorescentiis aut erumpentibus pustulis ulcerosis, felicissime saepe terminarentur. Ad postremum de febre addam intermittente, quae ut in multis aliis morbis hic etiam vim egregie exhibuit criticam, qua non solum diuturnitatem fregit epilepsiae, sed aegrotos etiam prorsus restituit integros Mihi ipsi datum est, observare puellam, quam quatuordecim annorum, ut fluxus menstruus nondum provenisset, epileptici paroxysmi semel aut bis indies accedebant, quibus quidem cum quatuor menses aegrota laborasset, febris intermittens tertiana fortuito eo quidem supervenit successu, ut remediis nullis adhibitis duabus post hebdomadis epilepsia prorsus sublata esse videretur, quandoquidem per octo septimanas et quod excurrit recidiva haud ulla exstitit. — Intra hoc tempus tamen fluxus menstruus prima vice intravit, ut dubium mihi oriatur, utrum crisis hac nova potius evolutione facta sit, an hanc

ipsam, quod haud raro observatum est, febris intermittens provocaverit. — Ut ut vero in spasmis aliae affectiones omni jure criticae nominantur, illos ipsos et alias neuroses natura, ut corpus quam maxime integrum conservet, nonnunquam in auxilium vocare solet, Q. g. mulier quaedam per annum bis solebat affici epilepsia, quo facto optima per reliquum tempus gaudebat valetudine, quae variis vero affectionibus interrupta erat, si paroxysmus semel solummodo aut prorsus non accedebat. In alia femina quotidie pluries accedebat morbus epilepticus, quem cum medicus vero remediis eo adegisset, ut mensibus singulis paroxysmus rediret, anno exacto subitanea ac vehementissima accessio vitam sustulit. Nonnunquam morbus nervosus alium morbum retinere ac in temporis spatium reprimere fere videtur. Ab illustrissimo Berendsio historiam morbi habeo relatam viri, quem phthisi laborantem, ut parum spei relictum esse videretur, melancholia adgressa est, quo facto mirum in modum ad unum omnia pulmonum symptomata cessabant. Brevi post tempore vero, cum cura melancholiae prosperum habuisset successum, sensim sensimque phthisis redibat aut potius recrudescebat, donec tandem, animi perversitate prorsus sanata, gressu celerrimo mors adveniret.

Antequam dissertationi valedixerim, paucis adhuc liceat viam exponere, qua natura in morbis chronicis sanandis se satis exhibet efficacem. — In morbis acutis, ubi vires ad plurimum solas laesas videmus, spatium criticum brevi tempore solet esse circumscriptum, quandoquidem in chronicis vero inte-

rius affecta est organisatio, in longius spatium, ut cuncta prava paulatim emendata ad normam redeant, judicatio diducatur oportet. Q. g. periodos evolutionis morborum chronicorum jam dudum putavi stadia esse haud raro critica atque omnia profecto, quae criseos habentur, signa in iis minime neganda sunt. Ut enim in crisi antea varios, quibus ipsa sensim sensimque adducatur, observamus prodromos, ut in eadem ab initio virium solummodo ratio mutata est, atque exinde demum status materiei alienatur, quod haud raro secretiones et excretiones alteratae et auctae testantur, haud absimile in periodis evolutionis nobis offertur; antequam enim iis absolutis duplicem organismi rationem cum dynamicam tum materialem mutatam ac inter se adaequatam videmus, diversos in singulis systematibus motus atque affectiones conspicere licet antecedentes, quas saepenumero laici, nulla habita ratione characteris interni, formam solummodo respicientes remediis adgredi atque infelici successu superare conantur.

Ex lege, qua omnes organismi in gradum quendam perfectionis adspirent, in primis etiam periodis evolutionis omnia systemata nostri corporis pedetentim novam energiam adsequi videmus; mutatur enim et augetur nervorum systema, ut spasmi et interdum ipsius animi morbi diminuantur aut omnino decedant; alteratur dein et systema irritabile, ac debilitas et laxitas fibrae, in profluvia erethistica organismi propensio, periodo evolutionis absoluta, prorsus saepe disparent, tono fibrarum et auctiori omnino sanguinis vitae cedentes; ad postremum vero evidentissime

in organis glandulosis et lymphaticis provocatur reformatio, qua quidem sola morbus scrophulosus, rhachitis, exanthemata chronica, ulcera saepissime sine ulla artis adjumento sanantur, quia resorptionis vis aucta est, ac liberior facta lymphae circulatio. — Haec tamen dixisse sufficiat; ob temporis enim exiguum spatium multa, quae fini nostro responderent, phaenomena pathologica non possum non silentio praeterire. Indulgeant Lectores benevoli hisce primitiis; equidem jamjam clare perspicio, rem nimis magnam et perdifficilem me aggressum esse, ut fortasse haud justo ante perpenderim: quid valeant humeri quid ferre recusent! —

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Henricus Theophilus Loescher anno millesimo septingentesimo nonagesimo sexto natus sum Lubbenae, urbe Lusatiae inferioris, parentibus Friderico Loescher ac Henrica Loescher e gente Hanisch, quos quidem superstites et a deo optimo maximo incolumes mihi conservatos grato corde colo atque pio animo usque venerabor. Gratissimum certe hoc mihi cecidit, quod meis parentibus et, qui a pueris inde ad hoc usque tempus me erudiebant, praeceptoribus dilectissimis palam jamjam agere possim gratias quam maximas. Primis litterarum rudimentis ducibus viris maxime colendis Richtero et Raschkio feliciter depositis, per sex dein annos et quod excurrit in Lyceo, quod nuper adhuc! in urbe patria amatissima florebat, linguarum inprimis veterum studio aliarumque, quibus opera impendi solet, disciplinarum sub auspiciis virorum summe venerandornm Suttingeri Rectoris

atque Paulii Conrectoris deditus fui. Postremo adhuc anno, quem Lubbenae commorari mihi datum erat, anatomiae corporis humani a beato Hartmanno, Medico experientissimo, et anthropologiae a doctissimo Salingero primas lineas me accepisse, grato animo recordor. Summa cum laetitia tempora illa revocare consuevi, quae in Lyceo Lubbenensi cum amicis per regi commilitonibus, quos jamjam sors plurimos una Berolinum duxit, in cujus alma Musarum sede anno millesimo octingentesimo decimo sexto a Rectore amplissimo Schleiermacher numero civium Academicorum et a Decano illustrissimo Graefe medicae facultati sum adscriptus: — Praeceptores abhinc mihi erant: In logice ac mathesi pura beatus Kiesewetter, in physice Celeb. Erman et Turte, in chemia Ill. Hermbstaedt, in botanice ac zoologia Celeb. Link et Lichtenstein, in anatomia cum theoretica tum practica Viri Ill. Knape et Rudolphi me instituerunt, in pathologica autem anatomia et nervorum vasorumque speciali ab Ill. Rudolphi et Celeb. Rosenthal edoctus sum. Physiologiam accepi a Celeb. Horkel, Ill. Koreff et Celeb. Osann. In pathologia generali Celeb. Fr. Hufeland, in semiotice Celeb. Wolfart et Celeb. Fr. Hufeland, in pharmacia Ill. Hermbstaedt, in materia medica Celeb. Osann, praeceptoribus usus sum; unaque Perill. Hufeland Institut. medicinae practicae et lectiones de macrobiotice frequentavi. In therapia speciali idem vir Perillustr. nec minus Ill. Berends et Horn me discipulum admiserunt. Therapiam neurosium a Celeb. Wolfart accepi. In acologia Celeb. Bernstein, in chirurgia illustr. Graefe; in re obstetricia clar.

Kluge me erudiverunt, nec minus Ill. de Siebold exercitationibus in machina phantome institutis interfui. Denique ut, quae a praeceptoribus acceperam, in usum converterem, instituta clinica Perill. Hufeland et Virorum Ill. Graefe et Berends nec minus Celeb. Rust et Ill. Horn frequentavi et parim usque frequento, nec non operationibus Experient. Iuengken ophthalmiatricis adesse pergo.

Tentamine atque examine rigoroso absolutis, nunc superest, ut Gratiosum Medicorum Ordinem omni, qua decet, observantia rogem, ut dissertatione defensa summos in medicina ac chirurgia honores in me conferri velit.

THESES DEFENDENDÆ.

I. Inter morbos chronicos et acutos nullum exstat discrimen.

II. Omnes de caloris animalis origine hypotheses mihi non sufficiunt.

III. Hydropicis potus magis detrahendus quam multus ingerendus est.